

fuisse aliquod tempus, in quo non erat lux. » Et supra quæst. LXVI, art. I, dicit: « Quod deerat a toto corpore diaphano, quod dicitur cælum pulchritudo lucis. » Ergo in sententia D. Thomæ aliquando fuit sol sine luce.

QUÆSTIO LXVIII.

DE OPERE SECUNDÆ DIEI.

TEXTUS.

Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas quæ erant sub firmamento ab iis, quæ erant super firmamentum.

NOTANDA CIRCA HANC QUÆSTIONEM.

I. Secundum opus distinctionis, quod in secunda die factum est a Deo, continet duos effectus. Primus, est formatio firmamenti, quod Deus appellavit cælum. Secundus, est divisio, seu segregatio inter aquas superiores, quæ sunt super ipsum firmamentum ab iis quæ sunt sub illo. Et circa utrumque effectum est magna difficultas, quodnam sit illud firmamentum, an sit cælum in quo sunt sidera, et est octava sphaera inter cœlestes: hæc enim etiam vocatur firmamentum: an vero illud firmamentum est spatium illud aeris in quo nubes coagulantur, et vocatur expansio, et cælum, sicut dicuntur volucres cœli, scilicet non cœli siderei, sed aerei. Circa secundum effectum est etiam difficultas quænam sint illæ aquæ, quæ hic dicuntur esse super firmamentum, et quæ dicantur esse infra illud; et quomodo firmamentum dividat in-

ter illas, et dicatur factum in medio aquarum.

FIRMAMENTUM FACTUM SECUNDA DIE
NON EST ALIQUOD CORPUS CŒLESTE.

II. Difficile est in iis quæstionibus resolutionem Sancti Thomæ invenire, quia ipse tantam reverentiam defert sacris doctoribus, quod in hoc tractatu potius elegit eorum opiniones referre, quam impugnare, vel suam interponere, memor illius sententiæ Augustini I de Genesi imperfecto cap. I: « De obscuris naturalium rerum, quæ omnipotenti Deo artifice facta sentimus, non affirmando, sed quærendo tractandum est in libris maxime, quos nobis commendat auctoritas divina. » Nihilominus circa hanc difficultatem de firmamento, an fuerit cœleste, vel aereum, non obscure indicat sanctus doctor suam sententiam, tum in hac quæstione, articulo primo, ubi utramque sententiam, et intelligentiam proponens, quod nomine firmamenti quidam intelligunt firmamentum æthereum, quidam aereum, in calce corporis articuli hanc secundam sententiam maxime commendat illis, Augustini verbis II de Genesi ad litteram, cap. IV: « Hanc considerationem laude dignissimam judico. Quod enim, dixit, neque est contra fidem, et in promptu, posito documento credi potest. » Tum quia infra quæst. LXXIV, artic. I, inquit: « Quod prima pars mundi, quæ significatur nomine cœli distinguitur prima die, et ornatur quarta; media vero quæ significatur nomine aquæ distinguitur secunda die, et ornatur quinta. » Igitur secundum D. Thomam divisio, quæ facta est secunda die non pertinuit ad corpora cœlestia, sed ad elementalia, quæ nomine aquæ designantur. Denique, S. Thomas opus creationis ponit

factum simul, et in instanti, nempe quando in principio creavit Deus cælum et terram: reliquis autem diebus non est creatum aliquid ex nihilo, ut affirmat infra quæstione LXXIV, art. I ad I, et art. II ad II. Firmamentum autem sidereum non potuit secundum sententiam D. Thomæ fieri nisi per creationem ex nihilo, quia cælum est ingenerabile, et incorruptibile, ergo non secunda die, quia solum per creationem est producibile. Habemus ergo hanc sententiam a D. Thoma approbatam, et necessario juxta sua principia deductam, et ab Augustino valde laudatam, et Chrysostomo, homilia IV in Genesim non improbatam, insinuatamque ab Ambrosio lib. II hexameron, c. IV, licet in capite tertio etiam oppositam videatur defendere. Eam etiam sequitur Beda, libro II de elementis philosophiæ in principio, glossa interlinearis, et plures ex recentioribus, quos citat, et sequitur pater Suarez, libro II de opere sex dierum, cap. IV, num. XX; Bagnez in hac quæstione LXXVIII, et alii.

III. Nihilominus oppositam sententiam tenent etiam alii, qui putant supra firmamentum sidereum esse veras, et elementales aquas; quod tenet Molina tractatu de opere sex dierum, disp. X, et Bellarminus super Psalmum CXLVIII, ad illa verba: *Et aquæ omnes quæ super cœlos sunt, etc.* et alii. Fundanturque præcipue in proprietate verborum Scripturæ, quæ id sæpius significat, et in pluribus sanctis patribus, qui sic interpretari videntur Scripturam, de quo postea. Potest autem hæc sententia duplici via defendi. Uno modo sustinendo omnes cœlos, præter empyreum non esse creatos ex nihilo, sed ex aqua, quæ a principio occupabat totum spatium a terra usque ad cælum empyreum: et hanc opinionem ut probabiliorem

sequitur Molina citatus. Alia via potest defendi, affirmando cœlos non esse factos ex aqua neque aquas occupasse totum illud spatium usque ad cælum empyreum, sed cœlos esse factos per creationem, aquas vero elementales illuc esse elevatas a Deo, vel creatas supra cælum stellatum. Et quidem sancti patres qui aquas illas supra cœlos sic explicant, non multum disputant de hac quæstione quomodo celeste illud corpus interpositum sit inter istas aquas. Unde non videntur plures ex illis rem hanc ex professo tractare, ut postea expendemus. Rem tamen hanc redigendo ad disputationis terminos, tot tantaque sunt inconvenientia, quæ ex illa sententia sequuntur, ut omnino nos cogant ad sententiam Augustini, et D. Thomæ confugere. Breviter id colligemus in utroque modo defendendi illam sententiam.

IV. Primo ergo, si dicatur illud firmamentum cœleste secunda die factum esse cælum generatum ex aqua, interpositumque inter aquas superiores, et inferiores, ostenditur falsitas, et inconveniens hujus, quia ad hoc ut tale firmamentum fieret in medio aquarum, sicut dicit Scriptura, oportebat quod elementum quasi repletet totum spatium quod est usque ad cælum empyreum, vel usque ad novam sphaeram, si quidem firmamentum quod est octava sphaera dicitur facta in medio istarum aquarum, et divisisse inter aquas superiores, et inferiores. Et iterum tota illa aquarum moles necessaria erat, si debebat præbere materiam ex qua fierent vastissima illa corpora, quæ a cœlo lunæ usque ad empyreum occupabant illud spatium. Elementum autem aquæ non potest connaturaliter, et juxta suam naturam tantum spatium replere in hoc universo quantum modo occupant aer, ignis, et novem, vel

decem sphaeræ cœlestes, quæ sunt corpora vastissima, et incomparabiliter excedentia omnia elementa. Et probatur manifeste, quia aqua habet naturam elementalem, estque elementum infimum præter terram, ergo naturaliter petit esse contentum sub aere, et igne tamquam sub elementis sibi superioribus, et multo magis sub sphaeris cœlestibus: ergo producere in hoc universo elementum aquæ in tanta vastitate quod occuparet non solum spatium aeris, et ignis, sed etiam cœlestium sphaerarum, est præternaturaliter, et monstruose producere elementum, et sic non potuit firmamentum cœleste connaturaliter, et secundum suam exigentiam produci ex isto elemento aquæ, et in medio aquarum, si quidem ad hanc productionem supponebatur elementum aquæ productum præternaturaliter, et monstruose, quod est incidere in inconueniens sæpe repetitum, quod Deus in prima institutione naturarum non iuxta naturalem eorum modum, sed modo præternaturali eas formaverit.

V. Nisi dicatur Deum quando creavit cœlum, et terram, nondum creasse hoc universum secundum suas partes, et sic elementum aquæ non est creatum tunc tamquam elementum redactum ad suum locum, sed tamquam materia generalis partium universi. Sed si ita est, non apparet quare creata sit terra, quæ non minus poterat fieri ex aqua, quam alia elementa, et sphaeræ cœlestes: si enim tunc non est productum hoc universum constans ex cœlis, et elementis, sed solum materia ex qua fieret universum, inconueniens videtur quod terra quæ est imperfectissimum elementum, non fuerit ex aliqua materia, sed per creationem, et reliqua nobilissima corpora fierent ex materia. Et unde constat aquam assumptam

esse a Deo pro materia orbium cœlestium, magis quam aerem, vel aliud corpus simplex? Nam Scriptura id non dicit, nec ex revelatione alia constat: ratio autem naturalis non magis dicitur ex aqua formandum esse cœlum, quam ex aere, vel ex alio corpore. Unde ergo id dicitur, nisi divinando? Credendum est ergo, quod quando creatum est cœlum et terra, universum hoc creatum est, ita quod unicuique corpori sive elementali, sive cœlesti suus locus, et ordo assignatus est in hoc universo, et ita præternaturaliter fieret elementum aquæ, si non redigeretur ad locum inter elementa sibi debitum, sed tam vastum spatium occupasset.

VI. Præterea confirmatur hoc amplius, quia si illa corpora cœlestia facta sunt ex aqua tamquam ex materia, inquiri de ipsa aqua quomodo facta sit? An ex alia aqua, et materia, an per creationem ex nihilo? Non ex alia aqua, sic enim esset processus in infinitum, inquirendo idem de illa alia aqua, si autem creata est ex nihilo, cur magis aqua postulat creari ex nihilo, quam elementum aeris, vel ignis, et reliquæ sphaeræ cœlestes? Nam cœli et alia elementa non sunt minus simplicia corpora, quam elementum aquæ, cum quodlibet illorum simplici motu gaudeat. Nec sunt minus perfecta, quam elementum aquæ, imo longe perfectiora, cur ergo soli aquæ, et terræ, et cœlo empyreo est debitus, et connaturalis modus procedendi per creationem, non autem aliis cœlis, et elementis? Quod si ex natura sua elementum aquæ petit esse elementum contentum sub aere, et igne, non autem in tanta vastitate creari, nonne convenientius, et connaturalius est elementum aeris, et ignis, et orbis cœlestes ex nihilo creari (cum id sit possibile, nec magis debitum aquæ quam illis)

quam illam monstruosam vastitatem aquæ creari supra id quod petit ejus natura, ut ex illo monstro aquæ formentur cœli?

VII. Tertio, si elementum aquæ pertingebat usque ad cœlum empyreum, ut ex illa formarentur omnes cœli mobiles, qui totum illud spatium modo replent, et ne esset ibi vacuum, si in toto illo spatio prima die non esset aliquod corpus, inquiri, illa lux quæ producta est primo die, et sua alternatione fecit noctem, et diem ubi fuit, et quomodo movebatur? Non intra ipsas aquas, sic enim non apparet quodnam corpus connaturaliter intra aquas lucem illam haberet, et motu suo diem faceret, ac noctem: ipsum vero corpus aquæ, vel pars ejus non habebat illam lucem, ita ut intra aquas moveretur, et faceret diem, et noctem; non enim aqua est corpus luminosum connaturaliter, sed diaphanum, et casu quo præter suam naturam lucem reciperet, statim quarta die debebat deponere; et sic faceret Deus in illa, lucem ut statim destrueret. Et idem esset de alio corpore intra aquas illuminante. Nec apparet quomodo intra aquas moveri poterat lux illa circulariter, et facere diem, et noctem, cum aqua non sit corpus ita densum, sicut requiritur ad illuminandum faciendum diem, quod requirit magnam lucem. Si autem illa lux erat in aliquo corpore super ipsas aquas, hoc non potuit esse in hac sententia, quia illæ aquæ immediate tangebant cœlum empyreum; alias si non immediate tangerent, inter ipsas, et cœlum empyreum esset vacuum, quod est contra naturam universi, vel esset aliud corpus, quod nec esset aqua, neque cœlum empyreum, neque aliud corpus generatum et aqua, quia adhuc ex illa aqua nihil erat factum neque cœli, neque elementa alia. Quid ergo esset? Quare in hac

sententia non relinquitur locus corpori in quo poneretur illa lux ad illuminandum faciem illam abyssi, in qua erant tenebræ. Et sic vel Deus se solo illuminabat mundum sine causa secunda, quod est supra naturalem ordinem rerum, quod non debet poni in prima rerum institutione: vel illa lux debebat procedere a cœlo empyreo, cum tamen ad illud cœlum non pertineat illuminare hunc mundum, et facere diem, et noctem, quia non movetur circulariter sicut sol, sine quo motu circulari non est alternatio diei, et noctis.

VIII. In sententia autem dicente firmamentum, et omnes cœlos esse factos per creationem, multo fortius probatur eadem sententia. Nam ista creatio firmamenti, et cœlorum, vel facta est in illo primo instanti quando Deus creavit cœlum et terram, ita quod ly cœlum significet omnia corpora cœlestia: vel creatum est secunda die quando factum est firmamentum in medio aquarum. Si primum, ergo firmamentum quod factum est secunda die non erat corpus cœleste, quia jam supponebatur factum prima die. Nec poterat tunc fieri quoad officium dividendi aquas ab aquis, quia si primo die factum est firmamentum, et reliqui orbis, ergo prima die occupatum est cœlestibus corporibus totum illud spatium, quod est a concavo lunæ usque ad cœlum empyreum, quia ibi sunt decem sphaeræ mobiles inter quas nullum est vacuum, neque corpus aliud intermedium, sed immediate se tangunt, sicut inter elementa terra et aqua immediate tangunt aerem, et aer ignem. Ergo non potuit in illo spatio sic repleto orbibus cœlestibus dari aliqua multitudo aquarum inter quas divideret firmamentum, et in quarum medio fieret, nisi tales aquæ essent pene-

tratae cum caelis, aut illos dividerent, quod totum est praeternaturale, et miraculosum. Et praeterea vel firmamentum, in eo loco in quo creatum est a principio, divisit aquas ab aquis, et creatum est in medio aquarum, vel a principio creatum est in alio loco, ubi non erant istae aquae et postea secundo die tractum est ad illum locum ubi erant aquae ut illas divideret, et in medio earum poneretur: aut ipsae aquae ad firmamentum elevatae sunt ut inter eas fieret divisio. Hoc tertium fieri non poterat, nisi aquae eleventur dividendo, vel penetrando caelos, quod est praeternaturale, aut creando ipsas super caelos, et tunc non fieret firmamentum in medio aquarum, sed aquae ponerentur super firmamentum. Si primum, ergo divisio aquarum non est facta secunda die, sed in prima, et in ipso primo instanti creationis, quod est contra Scripturam. Si secundum, non apparet in quo spatio prima die creatum sit firmamentum, et reliqui caeli a quo postea extrahendi essent, quia intra universum, et infra caelum empyreum non est spatium sufficiens ad capiendum firmamentum, et omnes orbis caelestes, nisi istud in quo modo sunt, et sic non possunt deferri ad aliud. Deberent ergo creari extra caelum empyreum, ut postea sub illo ponerentur ad dividendum aquas; quod est omnino monstruosum, et praeternaturale, quod creentur corpora hujus universi extra totum universum. Et de ipsis aquis, quae essent intra universum restant difficultates statim referendae, quomodo possent dividi a firmamento, et a caelis inter ipsas creatis.

IX. Si autem dicatur illud secundum, nempe firmamentum, et reliquos caelos esse creatos ex nihilo secunda die, in primis sequitur, quod opus creationis non sit termi-

natum prima die, cum tamen in secunda die fuerit opus distinctionis, et non creationis. Secundo, quia si firmamentum, et caeli creati sunt secunda die, inquiri, an illud spatium ab orbe lunae usque ad caelum empyreum fuerit primo die repletum aliquo corpore, vel vacuum. Vacuum esse non potuit, quia hoc tota natura abhorret, nec poterat in tali vacuo esse lux, et dies, quia esset sine subjecto, cum tamen primo die fuerit lux; si autem fuit repletum aliquo corpore, non caelesti, quia caeli, et firmamentum creata sunt secunda die juxta hanc sententiam. Non elementaliter, quia maxime repletur aqua, ut in medio aquarum fieret firmamentum, divideretque aquas ab aquis, et tunc incidimus in inconvenientia allata, quod primo die elementum aquae esset monstruosum, et extra suum statum naturalem in tanta magnitudine, et vastitate, nec daretur corpus in quo moveretur lux illa primo die. Praeterea sequitur aliud majus inconveniens, quod cum secunda die crearetur firmamentum, et reliqui caeli, et non fierent ex ipsa aqua, oportebat totum illud corpus aquae expellere ab illo loco quem modo occupant omnes illi orbis ab orbe lunae usque ad caelum empyreum, neque enim penetrata manebat aqua cum orbibus caelestibus, nec ipsi caeli habent poros, quibus tantam aquam excipiant, cum sint solidissimi quasi ex aere fusi, ut dicitur Job xxxvii. Quid ergo factum est de tanta aqua, quae expulsa est ab illo spatio, ubi nunc sunt caeli? An annihilata est? Sed Deus non facit creaturas, ut annihilaret illas, neque hoc erat conveniens in prima institutione mundi facere aliquid ut statim destruat. An conversa est illa aqua in alia corpora? Sed hoc non potuit sufficere pro tanta vastitate aquae, quae occupabat spatium us-

que ad caelum empyreum, non enim est conversa in corpora caelestia, quae ponuntur facta per creationem. Ergo in alia corpora infra omnes caelos quae solum sunt ignis, aer, et terra. In terram non est conversa illa aqua, quia terra erat creata a principio quando Deus creavit caelum, et terram. Restat ergo solum elementum ignis, et aeris in quae converteretur illa aqua. Haec autem duo corpora sunt valde parva, et quasi punctum respectu corporis tam vasti, quod occupabat a concavo lunae usque ad caelum empyreum: praesertim, quia aqua non convertitur in aerem, et ignem nisi per subtilitatem, et raritatem, non per condensationem, et compressionem partium, cum aer sit multo rarior aqua, quomodo ergo potuit tam grande corpus aquae converti in tam parva corpora illorum duorum elementorum, et hoc non comprimendo se, sed dilatando, et subtilizando.

X. Dices: Neque est conversa in aerem, neque in ignem illa aqua, sed cum esset valde tenuis, et rara reducta est tota illa aqua ad illam exiguam quantitatem, qua mansit infra elementum aeris operiendo terram. Sed contra, quia in primis totum hoc est divinare, quod in tanta raritate fuerit illa aqua producta, sic enim proprie non esset aqua fluida, sed vapor, quem vaporem mansisse supra caelos non admittent oppositi auctores qui ponunt veras, et fluidas aquas ibi esse, non aliquem nubem tantum, vel vaporem. Sane aquae illae retinebant verum, et naturalem statum aquae, ergo et densitatem requisitam ad talem naturam, alias non producerentur conaturaliter, ergo erant densiores quam aer vel nubes, aut vapor, ergo non poterat tanta multitudo aquarum, quae tantum spatium occupabat, redigi ad tam breve spatium

quale est infra aerem, et supra terram per solam condensationem, nisi condensatio tanta esset, quod redderet illas congelatas quasi lapidem, quod est totum elementum aquae ponere extra statum naturalem, et incipere Deum formare hoc universum modo praeternaturali.

XI. Omitto rationem illam quae etiam satis efficax est, sed ab aliis auctoribus sufficienter ponderata, nempe quia non apparet finis propter quem fiat iste effectus, ita praeternaturalis, et violentus, scilicet quod corpus elementale, id est, aqua perpetuo sit extra suum locum naturalem, scilicet supra caelum, cum naturalis locus aquae sit infra aerem. Non enim illae aquae possunt deservire ad temperandum calorem ignis; tum quia ignis in sua sphaera est valde rarus, nec multum calefacit, sicut nec lucet: tum quia a tanta distantia sicut est supra firmamentum caeli usque ad sphaeram ignis, quomodo possunt illae aquae emittere frigus ad temperandum illum calorem, praesertim obsistentibus caelis qui sunt valde solidi, et incapaces recipiendi in se frigus ad transmittendum illud in ignem: imo deberant illae aquae esse densissimae, et plusquam congelatae, ut possent ad tantam distantiam ejaculari frigus, cum videamus apud nos, quod mare ad paucissimam distantiam potest infrigidare, vel humectare; imo etiam totus tractus septentrionalis, qui perpetuo gelu duret, vix illud spatium usque ad tertiam regionem aeris potest suo frigore inficere, quanto minus aquae supra firmamentum poterunt emittere frigus usque ad sphaeram ignis. Neque etiam illae aquae fuerunt ibi repositae pro diluvio, quando cataractae caeli apertae sunt: quia diluvium factum est per pluviam quadraginta dierum, quae decidit e nubibus, aquae autem si essent supra firma-